
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.

2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.

3. Gymnasium Ethicum.

4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

MISCELLANEARUM Exercitationum

DECAS SECUNDA.

In quâ maximam partem Physiologica, & interdum Theologica disquiruntur, sententiarum fundamenta ostenduntur, & obstantia debitis resotionibus amoventur.

Disputatoriis Gymnasmatibus in Gymnasio Dantiscano decursa.

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,
Philosophiæ Professore Publico.

Ad Amplissimum Senatum Rigensem perscripta.

Gedani. GEORGIO RHETIO, Reipub. & Gymnasij Typographo Ordinario exscripta, Anno 1637.

Nobilissimo, & perquàm Magnifico

Senatui Rigensi.

Dnn. Patronis ac Fautoribus observanter colendis

Salutem & prosperitatem.

CReditum Antiquitati fuit, *Nobilissime & perquàm Magnifice Senatus, Domini ac Fautores observanter colendi*, sive pro vero id habitum; sive, quod non insolens, fictũ veri speciem obtinuit, Minervam, sapientiæ Veteribus antistitam, ægide hastaq; armatam ê Jovis patris generatam cerebro. Eam ob rem, litterarum bellorumq; prima inventrix, præcipuo dignationis honore jugiter eidem observata fuit. Poëtis, divinæ, ut vocant, mentis interpretibus, ingens differendi argumentum ea fides suppeditavit: quorum fabellæ omnes per populos id distulerunt. Oratoribus etiam inventum non sine curâ pertractatum fuit. Argumentum involueri quid sibi poposcerit, facilius sit divinare, quàm explicare. *Sunt*, qui sobrietati litterarum destinatum arbitrentur: quasi monito ostensum Veteribus, cerebrum, minimè carnosam in homine partem, sed medullatâ pinguedine fœtam, spiritus ultrò commeantes liberè transmittere. Et cerebro colendo addictos minimè carnis delitijs suescere debere; sed sobrietate victus tenuium auram spirituũ captantes agere, qui & meditata promptissimè admittant, & felicissimè capite circumducant. *Alÿs* in argumentum salubriter occupandæ Reipub: inventum insumptum æstimatur: quasi tùm illa tutissimè se habeat, cum & consiliũ

 jun-

jungatur potentiæ; & potentia non deſtituat conſilij neceſſitatē. Enimverò prudentia ſibi relicta conſilium ſufficere valeat: Vt conſilio ſalubriter mos geratur, in tantâ morū pravitate ſine potentiá præſtare non poteſt. Obviandum interdum malitiæ ſuppliciis magis, quàm conſiliis: ac ubi res facta requirat, expeditius ſubſidium â poteſtate expectes, quàm conſilium â prudentiâ. Equus viribus valens, ſed froeni impatiens, abruptis vinculis vagus fertur, potentiâ uſus ſine ſapientiâ. Idem ad frœnorum ſuetus patientiā capiſtrum admittet, dextrè ad moderatoris habenas compoſiteq; circumducendus. Si præſentia præteritis fas eſt contendere, ferè Palladem armatam litteratæ miſtam fateri neceſſum erit. Quaſi nec arma ſine litteris felicitatem ſibi ſpondere queant: nec litteras ſine armis tutas præſtitisſe licuerit. Atq; utinam armata intra fas modumq; ſe teneat! præclarū ſibi munimentum togata ab eadem polliceatur; non florem modò, ſed faſtigium cultus ſui expectans! Nunc, ut ſunt ſecula, ſæva ac infeſta literis incurſant tempora. Vis, cædes, & modum oblita rabies, univerſa pro ſuis ducens, pari & graſſatur impietate: & violentiùs invehitur, quòd Martiâ poteſtate ſubnixa terrores circumferat. Incumbit præſentibus: minatur futuris. Aut furor belli mortales occupat, aut pavor. Deſtinata litterariæ Palladi, & in longū ſuffectura, nefarius abſumpſit miles. Actorum magis incuriosus, quòd litterarū ſumptibus enutriendus ipſis Pallados ſedibus eſt infuſus. Labor, ſudor, lacrymæ innocentium, furijs ſunt ingeſtæ. Avaritiæ nec quidquam nefas viſum fuit: nec ſatiari potuit, cum implere deſideravit, quod circumfluxit. In benefactum ceſſit, amiſſis per

in-

inexplebiles rapinas bonis, ſtupra, & truncata per violentiam membra, aut nefanda propriorum ludibria corporum non deflere oportuiſſe. Quidquid auſus eſt furioſus miles, præſtitit: quidquid præſtitit, pro indemni habendũ fuit. Parum abfuit, quin indicto per ſcelus ultimũ litteratæ Palladi ſilentio, armata & jus, fas, & adminiſtrationẽ, & univerſa, velut ſibi ex jure debita, occupârit: in exiliũ abire juſſis litteris & virtutibus. Ac niſi DEUS ille averruncus maleficas terris peſtes avertat, pejora fortaſsè ſunt pertimenda, quàm vidimus: & expectatione futurorum miſeria in primordijs eſſe videbitur. Noſtrũ eſt, nullam poteſtatẽ ſcelere exercitam cuiquam eſſe diuturnã, ſperare: nec in longum violentiæ promitti. Ac, quos cathedris litteratæ Pallados præſidere DEUS voluit, munus occupare fas eſt, ſcriptis invigilare: &, quod cultiſſimæ terrarum, Germaniæ, per Barbaros auſus negatur, borealibus noſtris locis repræſentare. Ita fatorum clementiã opperiamur, dum operas capeſſimus: Votis ſimùl id exoptantes, ut, quæ noſtra ſunt optata, pari favore Mæcenatũ reſpiciat benignitas. Id futurũ in TE, *Nobiliſſime & perquàm Magnifice Senatus, Domini & Fautores obſervandisſimi*, ſperare auſa eſt ſecunda hæc miſcellorum meorum decas, quæ ob id *Amplisſima Veſtra Nomina*, velut auctoritatis munimenta fronti ſuæ præſtringere ſuſtinuit. De affectu in litteras Veſtro ambigere me non ſinit Ampliſſimum Vrbis Veſtræ Gymnaſium, cultui uſibusq; diſcentium denuò ſacratum, quando exilium eorum altrix Muſarum Germania parturire videtur. In eo & de Viris famâ dignisſimis proſpectum Vobis, Quorum aliquos amicos pl. mihi obſervandos agnoſco: & ſumptibus, quibus profugas

fugas

fugas hinc inde Musas impensiùs Boreæ Vestræ addiceretis. Patimini, *Patroni observandi*, inter cætera affectus Vestri, cultus mei, extare argumenta, qualemcunq; hanc nostram elaborationẽ, commodo sanè usuiq; discentium destinatã, utcunq; parum promittere sibi habeat tractatorum exilitas. Non credam, singulari veritatis dispendio quidquam hic collocatum. Quod si labantibus meditatis error surrepserit, sine fidei morumvè detrimento futurũ confido. Ac Vobis volentibus Judicibusq;, nostrâ sponte, in spongiam incumbat. Non adhuc, communi mortalitatis conditioni impliciti, ad divinitatis argumentũ admissi sumus: *Non errare*. Eat error: & inde æstimemur, cum nostri rectiq; sumus. Jam hæc nostra, qualiacunq; sunt, sub Tuo emissa auspicio, *Senatus Magnifice*, in Tuam clientelam arrogare sustine: Vt tua sint judicio, favore, patrocinio: adversus scæva, &, ut nunc sunt secula, calumnijs plena intercurrentia judicia. Id ut diu agere queas, diu Vos *Magnæ Vrbis Proceres* sospites præstet potens in Vniversũ ille Deus: & incumbente sequiore sorte, quam deprecor, spiritu consilij & fortitudinis succingat, ut fluctus ponatis in simpulo, ne in Tyrio, ut ajunt, committantur. Valete felices, *Amplissimi Domini*, & nostris favore Vestro annuite. E Gymnasio nostro. Calendis Decembribus. ANNO M. DC. XXXVII.

Nobilissimi ac perquàm Magnifici
Nominis Vestri
Observantissimus

HENRICVS NICOLAI
Prof. Philosophus.

In Decadem II. Miſcellaneorum
Viri Clariſſimi,
Dni: HENRICI NICOLAI
rofeſſoris Publici in inclyto Dantiſcanorum
Gymnaſio, Philoſophi non è multis, Amici
pl. colendi.

INſipiens certè ſim, ſi ſapientia per ſe
Carmine condirem, talia ſcribta magis:
uæ benè qui trutinat, jucundâ nonne ſalivâ
Mox tingi linguam ſentiat ille ſuam?
rbitrare hæc lector, & hîc me promere verum
Dices, ingenij quisquis acumen habes.

Sponte lubens

F.

ROTGERVS zum Bergen/
Livonus, Regius Secretarius.

SYLLABUS Disputationum contentarum.

Elenchus præcipuorum Erratorum in disputationibus occurrentium.

Pagina 2. lineâ 9. Lege, Mechanico. lin. 24. 25. homonymia. p. 5. l. 4. occisus. p. 5. l. [illegible] primus. p. 9. l. 22. lege t. 8. p. 14. l. 25. propior. l. 28. propior. p. 19. l. 24. lib. 1. mete[illegible] p. 20. l. 25. Eratosthen. Batavi. p. 23. l. 5. ferunt. l. 11. struendo. p. 28. l. 22. Heidfeldi[illegible] p. 34. l. 22. Opposita. p. 45. lin. penult: Diversissimis. p. 47. l. 9. causa. p. 55. l. 2. lege, n[illegible] contineat. p. 56. l. 1. animæ. p. 66. l. 29. Philosophis. p. 80. l. 7. deorsum. p. 85. l. 27. r[illegible] p. 88. lin. ult: anima. p. 97. l. 25. privationem, ut pœnam. p. 104. l. 37. plantam aut[illegible] plantam, id est, totam speciem. l. 38. sententiâ. p. 107. l. 11. f. 4. p. 113. l. 7. Deut: 3[illegible] 14. Psal. 35. pag. 122. l. 1. nec. p. 127. l. 29. consequenter. pag. 130. l. 24. debet. l. 31. d[illegible] comma post mens, p. 145. l. 25. ut. p. 153. l. 6. Rathman. p. 161. lin. penult. dele scirp[illegible] aliquem. p 161. l. ult. sui. p. 162. l. 14. inventione. p. 177. l. 3. hac. p. 179. l. 31. fac 1[illegible] p. 180. l. 23. laxæ. p. 182. l. 17. Juxta illud: p. 185. lin. ult. Apoc. 13. v. 9. p. 191. lin. [illegible] nult. Enthymema. p. 205. l. 16. supervacanea. p. 243. l. 23. Evaporationes. p. 256. l. 19. de [illegible] ex voce se. p. 265. l. 17. inhæret. p. 269. l. 16. habere, p. 274. l. 22. illius. p. 280. l. 35. [illegible] duci. p. 294. l. 27. Philosopho idem. p. 300. l. 7. scripturam.

Cætera lector benevolus per se corriget.